

§. 3. Respicendum proinde hac in parte non est ad ipsam iuramenti formulam, quæ, quatenus falsi DEI mentionem continet, utique non rectè se habet, sed ad animum & intentionem jurantis, qui sicut falsum Deum pro vero habet, ita existimat, iuramentum a se præstitum verum iuramentum esse, quo etiam obligatur, ac si per verum Deum jurasset.

TITVLVS SEXTVS

De Precibus ad DEVM.

CASVS I.

AN Christianis incumbat, ut pro omnibus hominibus orent?

§. 1.

Affirmativa videtur vera esse juxta monitum Apostoli *1. Tim. II, 1. ubi* ubi vult fieri deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro *omnibus hominibus*, ubi nulla additur exceptio, & videtur affirmativa clarior fieri v. 2. ubi etiam pro regibus scil. ethnicis, qualis tum temporis Nero erat, orandum esse dicit: Si quos verò exemptos voluisset Apostolus a Christianorum precibus, exempti ab eo sine dubio fuissent Reges ethnici, Christianorum persecutores, quod tamen ab Apostolo factum non est.

§. 2. Etsi autem universalitas hîc ab Apostolo est significata, Scriptura tamen ostendit, eam non absolutam, sed esse quosdam, pro quibus non est orandum. Et *1. quidem Johannes ipse 1. Epist. V, 16.* pro illis, qui peccant peccatum ad mortem, non esse orandum clarè innuit, cum dicit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges.* Ubi sermo est de peccato in Spiritum S. quod consistit in abnegatione, doctrinæ Evangelicæ agnitæ, quæ fit a sciente & volente, ut cum finali impœnitentia sit conjuncta: cum talis peccatoris peccatum conjunctum sit cum finali impœnitentia, propter quod in æternum a gratia DEI excluditur, frustra pro eo orari, adeoque pro eo orandum non esse, dicit Apostolus.

§. 3. Sed dubium oritur, quod tale peccatum includat finalem impœnitentiam. E. ante finem vitæ non possumus esse certi, an quis peccatum in Spir. S. sive peccatum ad mortem commiserit. Si ergo de peccato in Spiritum S. non sumus certi, non possumus etiam